



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 35. An detur parvitas materiæ in præsumptione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

ex illa intentione peccare, nihil est aliud, quam se solvere à metu novæ & distinctæ erubescenxiæ seu difficultatis in confitendo, & ideo peccare liberiùs & sæpius, quod non est præsumptio, ita Tann. t. 3. d. 2. q. 1. n. 79. & post illum Burgh. cent. 1. cas. 3 1. Si tamen peccans sibi promitteret tam facile remissionem plurium peccatorum quam unius, & ideo sæpius peccaret, esset præsumptio, uti rectè Steph. t. 3. d. 2. d. un.

Q. 35. An detur parvitas materiæ in præsumptione. R. Negant communiter omnes, sed Bonæsp. d. 4. n. 48. affirmat, docens eum tantum venialiter peccare, qui ex præsumptione de bonitate Dei peccaret venialiter, aut in sequentem diem differret agere poenitentiam circa peccatum mortale; neque contradicit Steph. suprà.

Q. 36. Quandonam amittatur spes. R. Amititur 1. per peccatum, quo amittitur fides, cùm hæc sit veluti fundamentum omnium virtutum. 2. Per quodvis mortale spei directè oppositum, id est, quod directè tollit objectum formale spei, uti sunt positiva & efficax nolitio vel contemptus beatitudinis, neglectus mediorum ad illam, eò quod judicetur impossibilis; dejectio animi ex eo, quasi Deus non possit aut non velit nos salvare &c: 3. Non amittitur directè per præsumptionem vel per omissionem actus spei graviter præcepti, cùm hæc præsumptio vel omissio directè non opponantur motivo spei.